

chez, i. Testigo. Diego Lopez. Por si mismo, Diego Lopez. 2. Pedro Diaz. 3. Ante mi Gil Gonzalez, Escrivano Público.

Si instare mucho la enfermedad, y hay peligro en la tarandanza, mandará el enfermo llamar siete Testigos, y de palabra dirá, que señala por su heredero á Juan Fernandez, y por su Albacea á Diego Perez, y que quiere que su cuerpo sea enterrado en la Cathedral, y ruega á los Testigos lo sean de esta su ultima voluntad, y Testamento nuncupativo, y abierito.

Omnes aliquod interesse ex apertura testamentum sperantes, possunt, illud aperiri, petere. Ac propterea hoc facere possunt heredes, legatarii, & executores in testamento nominati. Etiam filius præteritus, & hæres ab intestato hoc petere possunt, intendendo testamentum nullum declarari: & quidem omnes debent ante omnia mortem Testatoris, ut suæ intentionis fundamentum, probare, & insuper probare debent, quod Testator sub illa dispositione, seu testando decessit. *L. 1. tit. 2. p. 6. & ibid. Gregor. Lop. Monteroso, Ribera, & alii*, qui latius rem prosequuntur.

## TIT. XXVII.

## De Successionibus ab intestato.

257 **M**ortuo aliquo ob intestato, (& non aliter) succedunt ei sui consanguinei: quibus quidem non à testatore, sed à Lege defertur hæreditas, quæ idcirco *legitima* appellatur: & in hoc sanè differt à testamentaria, quæ non à Lege, sed à voluntate testatoris procedit. Utraque tamen convenit in eo, quod utraque est successio in universum jus defuncti. *L. 62. ff. de Reg. Jur.* & in utraque debet aditio, seu acceptatio intervenire. *L. 9. ff. de Suis, & legitim.* alias ad hæres non transmittitur. *L. 7. C. de Jur. delib.* ex utraque deducitur Falcidia. *L. 18. ff. ad Leg. Falcid.* & utraque per fideicommissum relinqui valet. §. 10. *Inst. de Fideicommiss. hered. Hæreditas* (ait Justinian. in §. 5. *Inst. de Heredib. instituend.*) *plenumque dividitur in 12. uncias, quæ assis appellatione continentur: habent autem & hæ partes propria nomina ab unica usque ad assem hæc: sextans, quadrans, triens, quin-cunx, semis, septunx, bes, dodrans, decunx, as* Hujusmodi enim hære-

ditas, vel ex testamento, ut jam diximus, vel ab intestato defertur. Intestatus etenim dicitur, qui vel nullum condidit testamentum: quia vel noluit, vel non potuit, sivè de jure, sivè de facto: vel etiamsi quod testamentum fecit illud fuit invalidum; vel etiamsi validum fuit, ruptum tamen fuit, vel rescisum agnatione posthumi, capitis diminutione, vel querela inofficiosi testamenti: vel etiam quando nullus ex testamento exitit hæres, vel quia adire noluit hæreditatem, vel quia ante testatorem mortuus fuit. *L. 64. ff. de V. S. l. 1. tit. 13. p. 6.* Decedente ergo ab intestato, aliquo ex predictis modis, defuncto, ad ejus successionem sui consanguinei suo ordine vocantur. Et quidem 1. liberi, ita ut eis extantibus cæteri consanguinei cujuscumque sint gradus penitus excludantur. *L. 6. l. 7. Taur.* nisi fortè jure repræsentationis succedant. Inter liberos tamen præferuntur legitimi, id est, ex legitimo matrimonio, saltem putativo nati. Quod si variis ex diversis nuptiis procreati extent, singuli suis parentibus succedunt: v. gr. si patrem habeant communem, non verò matrem, omnes in bona paterna succedent, non verò in materna, quæ filiis ex matre genitis reservabuntur. Idem est, si matrem, non verò patrem, habeant communem. *L. 3. l. 4. C. de Secund. nuptiis.* Etiam parenti succedunt legitimatedi per subsequens matrimonium; *arg. c. 6. Qui filii sint legit.* legitimatedi per Principem, & etiam filii adoptivi, qui legitimi tantum dicuntur. §. 2. §. 14. *Inst. de Heredit. quæ ab intestat.* Descendentes si quidem primi gradus, hoc est, quando à nullis præceduntur, ut sunt filii, in capita succedunt, hoc est, tot fiunt partes æquales, quot sunt capita, seu persona, quæ succedunt. *Auth. in Successionem, C. de Suis, & legitim.* si ulterioris gradus sunt, ut nepotes, pronepotes, abnepotes, &c. in stirpes succedunt: id est, in locum stirpis, ex qua singuli descendunt, representando, scilicet, personam sui patris, ac per consequens ejus partem adquirent, sivè soli, sivè cum aliis proximioribus concurrant. V. gr. si Titius quatuor liberis relictis ab intestato decedat, in quatuor partes ejus hæreditas dividitur, quarum singulæ singulis deferuntur. *L. 3. tit. 13. p. 6. L. 8. Taur.* Deinde: si Titius habuit quatuor filios, & omnibus eis præ mortuis, decessit, in quatuor item partes dividitur hæreditas, & nepotibus ex singulis filiis, etiamsi plures ex uno, quam ex alio sint, datur pars, quæ suo patri quem præ-

presentant, debebatur. Si autem Titius decessit relictis quatuor nepotibus ex filio præmortuo, & tribus filiis, hæreditas in quatuor partes dividitur, & tres tribus filiis dantur, & quarta pars, quæ filio præmortuo debebatur inter quatuor nepotes, qui ipsam repræsentant, & jure repræsentationis succedunt, rursus dividitur. *L. 3. tit. 13. p. 6. l. 8. Taur. l. 5. tit. 8. lib. 5. R. C.* Extantibus quidem filiis legitimis naturales, qui scilicet, ex muliere soluta extra matrimonium geniti sunt, ab hæreditate paterna excluduntur. Ad maternam tamen hæreditatem cum legitimis æqualiter admittuntur. Nullis tamen legitimis extantibus, ab intestato succedunt patri in duabus uncias, quæ inter ipsos, & eorum matrem, si vivit, dividendæ sunt. Sed qui ex damnato coitu procreati sunt, omni prorsus beneficio privantur. *Auth. Licet, C. de Natural. liber. L. 8. tit. 13. p. 6.* In nostra Hispania extantibus filiis legitimis matris non succedunt ei filii naturales, potest tamen mater eis quantum bonorum partem, sicut cuilibet extraneo, relinquere. Si verò mater careat filiis legitimis, etiamsi ascendentes legitimos habeat, ei filii naturales ex testamento, & ab intestato succedunt, tamquam si legitimi essent: quin & spurii, dum non sint ex coitu damnato à Lege pœna capitali, matri similiter succedunt. *L. 9. Taur. l. 7. tit. 8. lib. 5. R. C.* filius naturalis patri ab intestato in duas uncias hæreditatis succedit, dummodò pater filios legitimos non habeat, etiamsi habeat uxorem. *L. 9. tit. 13. p. 6.*

259 Nullis descendibus à defuncto relictis (& non aliter) succedunt eidem ascendentes proximiores, secundum suum gradum. *L. 4. tit. 13. p. 6. l. 6. Taur. l. 1. tit. 8. lib. 5. R. C.* Primo ergo succedunt pater, & mater, æqualiter quidem, in bona filii, undecumque acquisita, sivè à patre, sivè à matre, sivè aliunde processerint. *L. 4. tit. 13. p. 6. & ibid. Greg. Lop. Gom. in L. 6. Taur. n. 8.* Parentibus tamen deficientibus (non aliter) succedunt avus, & avia: non tamen in capita, sed in stirpes succedunt, ita ut una pars detur ascendentibus per patrem, altera per matrem ascendentibus, sivè plures, sivè pauciores ex una, quam ex altera parte extent. *Nov. 118. cap. 2. l. 4. tit. 13. p. 6. & ibid. Gregor. Lop. Gom. in L. 6. Taur. num. 9.* & quidem ascendentes succedunt, licet filius defunctus emancipatus sit: & etiamsi sit illegitimus naturalis, dummodò sit legitimatus, saltem Rescripto Principis: imò

etsi posthumus sit. Si enim post patris mortem filius nascatur, & 24. horis vivat, baptizatusque sit, posteaque moriatur, de Jure Hispano mater ei succedit: si mater in puerperio decedat filius ei succedit, etsi hic moriatur post baptismum, & 24. horas; pater ei succedit in bona materna. Si verò pater concurrat cum avo, vel avia materna defuncti, vel mater cum avo, vel avia paterna, solus pater, vel mater, avis exclusis, succedit. *Nov. 118. cap. 2.* quia in ascendentibus non datur repræsentatio. *Gom. in L. 6. Taur. n. 5.* Ascendentes quidem excludunt fratres defunctæ ex una tantum parte conjunctos; non tamen fratres germanos, seu utrimque conjunctos, sivè mares, sivè foeminas. Hi enim cum ascendentibus proximioribus defuncti succedunt, & quidem in capita, seu in portiones æquales. *Nov. 118. cap. 3.* Hodie in nostra Hispania fratres defuncti non concurrunt cum defuncti parentibus, vel alijs ascendentibus, sed ab eis penitus excluduntur, ut constat ex *L. 7. Taur. l. 4. tit. 8. lib. 5. R. C.* qua corrigitur *L. 4. tit. 13. p. 6. ut ibid. notat. Greg. Lop.* pro alijs Regnis vide *Nov. 127. cap. 1.* qua quidem derogatum est *Nov. 118. cap. 5.* Parentes quidem suis liberis illegitimis ab intestato succedunt eodem modo, eisdemque casibus, quibus filii illegitimi suis parentibus ab intestato succedunt. *L. 8. tit. 13. p. 6. Gom. in l. 9. Taur. num. 8.* ac proinde naturalium hæreditas ad ipsorum filios pertinet: his deficientibus, mater, si sola est, erit hæres ex asse: si pater filii naturalis vivit, ipse in duas uncias filio, mater in decem uncias succedit. Si simul cum matre frater uterinus extet, iste cum sua matre fratri suo æqualiter succedet. *Auth. Defuncto, C. ad S. C. Tertyl.* Si non extant parentes, succedunt fratres uterini, hoc est, ex parte matris, exclusis fratribus consanguineis, seu ex parte patris tantum: Non extantibus fratribus uterinis, succedunt fratres consanguinei: quibus tamen præferunt eorum frater naturalis, & legitimus. *L. fin. tit. 13. p. 6. & ibid. Greg. Lop.* In nostra Hispania filii naturales vocantur, qui nascuntur ex parentibus, qui tempore conceptionis, vel partus poterant sine dispensatione contrahere matrimonium, & insuper requirunt, quod patet eos, ut filios recognoscant si non habebat domum mulierem, ex qua eos habuit. *L. 11. Taur. l. 9. tit. 8. lib. 5. R. C.* obitu mortui

260 Nullis autem descendibus, nec ascendentibus defuncti extantibus, succedunt consanguinei collaterales, sivè viri,

runt potestatem, & non emancipentur, sibi invicem succedunt; *arg. L. 2. §. 3. ff. de Suis, & legitim. fratres legitimi* per subsequens matrimonium suis fratribus legitime natis succedunt. Si per rescriptum Principis legitimi sint, sibi ipsis ad invicem succedunt, secus legitime natis, nisi legitimi sint, antequam alii nascerentur. Fratres illegitimi habentes eandem matrem, etiamsi diversos patres habeant, non extantibus germanis fratribus legitimis, sibi invicem, & cognatis per matrem succedunt. Fratres illegitimi, qui habent solum patrem communem, cum nec agnati sint, quia non ex justis nuptiis procreati sunt, nec item cognati: quia non habent eandem matrem, nec sibi invicem, nec aliis quidem agnatis succedunt.

261 Prædictis quidem deficientibus, succedunt in capita, nullo facto discrimine sexus, nec agnationis, nec cognationis, vel quod utrimque, vel ex una tantum parte conjuncti sint, succedunt, inquam, defuncto alii consanguinei collaterales propinquiores gradu, remotioribus exclusis: nec in his locum habet representatio. Et quidem olim usque ad decimum gradum succedebant. *L. 6. tit. 13. p. 6. Hodie tamen saltem in nostra Hispania usque ad quartum tantum gradum defuncto succedunt. L. 9. tit. 10. lib. 1. R. C. l. 3. tit. 9. lib. 1. R. C. & ita tenet Salmantica. tr. 14. cap. 5. num. 102. Machad. & alii contra Solorzan. Polit. Indiar. lib. 5. cap. 7. Prædictis consanguineis deficientibus, defuncto, si conjugatus erat, sua uxor succedit, licet nondum fuisset matrimonium consummatum, dummodo tempore mortis uxor non sit divorziata à marito: eodem modo maritus uxori succedit, & quidem uterque excluso fisco. *L. un. C. Unde vir, & uxor, l. 6. tit. 13. p. 6. Deinde, si matrimonium sine dote scienter contractum sit, si mulier non habeat unde honeste vivat post mortem viri, succedit quidem ipsi viro, etiam liberis habenti, in quartam bonorum partem. Si tamen uxor sit dives, non succedit marito. *L. 7. tit. 13. p. 6. & idem dicendum est de marito paupere respectu uxoris divitis: nam æquum est, ut ei in quantitate prædicta succedat, ut notat Greg. Lop. in prædicta l. 7. Hjs omnibus deficientibus, bona censentur vacantia in quibus interessentibus, si qui sunt, publicè vocatis, & non competentibus, succedit fisco, si defunctus Latæcus sit. *L. 12. tit. 8. lib. 5. R. C. In nostra Hispania ex Regia dispositione hujusmo-****

di bona applicantur Tribunali Cruciatæ, *L. 9. tit. 10. lib. 1. R. C. Lara, lib. 1. de la Santa Cruzada, fol. 281. in Indiis autem non percipiunt Quæstores Cruciatæ bona ab intestato relicta, nisi speciale rescriptum à Rege obtineant. *L. 18. tit. 2. lib. 1. Recop. Ind. l. 6. tit. 12. lib. 8. R. Ind. Escalon. Gazoph. Reg. Per. l. 2. p. 2. cap. 5. Bona quidem ab intestato in Indiis relicta, etiamsi sint militum, vel externorum, qui ibidem non habent hæredem testamentarium, vel descendentes, vel ascendentes notorios, percipiuntur à Judice intestatorum, qui est quidam Regius Senator, cujus sententia habet eandem vim, ac si esset prima sententia Regiæ Cancellariæ, & ad hanc supplicatur, & sententia Cancellariæ habet vim revisionis, Hispanè: de revista. *Vid. tit. 32. lib. 2. R. Ind. Bona majoratus, etiamsi ultimus possessor ab intestato decedat, semper redeunt ad consanguineum propinquorem, etiamsi extra quartum, vel decimum: imò & millesimum gradum sit: nam hujusmodi bona semper redeunt ad truncum: ut ait Aceved. in l. 12. tit. 8. lib. 5. R. C. Greg. Lop. in l. 6. tit. 13. part. 6.***

262 In bona patrimonialia, & quasi patrimonialia Clericorum non succedit Ecclesia, nisi nullis hæredibus relictis Clericus decedat, *cap. 1. h. t. In bonis autem immobilibus Ecclesiasticis non datur locus successioni, cum talia bona non Clerici, sed Ecclesiæ sint: in bona tamen immobilia ex relictibus superfluis acquisita de Jure Communi succedit Ecclesia; exclusis legitimis hæredibus Clerici defuncti, *cap. 11. cap. fin. de Pecul. Clericor. cap. 7. cap. 12. de Testam. si defunctus Canonicus sit, talia bona in singulos præbendarios dividuntur: vel possunt servari in mensa communi pro futuris necessitatibus, *cap. 12. de Testam. si defunctus erat Episcopus, vel Parochus, ejus successor datur cum onere ea distribuendi in usus pios. In aliquibus Regnis exi. Const. Jul. III. Paul. III. & IV. & Greg. XIII. bona beneficalia Clericorum cedunt Cameræ Apostolicæ: in Hispania tamen Collectores Apostolici solum percipiunt spolia Episcoporum, non autem aliorum Clericorum. In Indiis tamen hoc ad Cancellarias Regias pertinet, vel ubi hæ non sunt ad Regios Prætores, qui talia spolia percipiunt, & solutis debitis Episcoporum, & salariis famulorum, quod remanet Ecclesiis applicatur juxta Jus Commune. *Solorz. Polit. Ind. lib. 4. cap. 10. Gonz. in cap. 12. de Testam. num. 2. lib. 5. tit. 12. p. 6. Novitio quidem ante professio-****

nem mortuo, si ex testamento; quod habere potest facere, hæredem non reliquit, succedunt hæredes legitimi: & Monasterio nec legitima, nec alimenta debentur: nam solum ad ipsum bona Religiosorum pertinent, quorum nomine minime venit Novitius in non favorabilibus. *Molin. de Just. tr. 2. D. 140. Sanch. in Decal. lib. 7. cap. 3. num. 92. & alii. Si verò, qui Religionem est ingressus, post professionem decedat, nulla antea dispositione de suis bonis facta: tunc enim omnia ejus bona, & jura, quorum Monasterium est capax, Monasterio ipsi, cui suam personam mancipavit, & à quo alimenta suscepit adquiruntur. *Auth. ingressi, Auth. Si qua mulier, C. de Sacros. Eccles. cap. 7. cap. 9. 19. q. 3. l. 17. tit. 1. p. 6. Adquiruntur igitur Monasterio peculium Castrense, & quasi Castrense, & adventitium Emphyteusis, & jus patronatus, nisi Monasterium excludatur in ejus fundatione: item Majoratus adquiruntur, nisi sit Regnum, vel habeat jurisdictionem annexam, vel nisi sit institutus ad familiam, nomen, & insignia conservanda, vel nisi Monasterium in fundatione excludatur. *Sanchez in Decal. lib. 7. cap. 15. Molin. & alii. Legatum, vel hæreditas professio delata, etiam sine ejus additione Monasterio adquiruntur. *Sanch. in Decalog. lib. 7. cap. 12. n. 36. Covarr. Molin. & alii contra Fachin. lib. 6. Controver. cap. 16. & alios. Filiis autem talis professi, *cap. 9. 19. q. 3. l. 17. tit. 1. p. 6. & probabiliter etiam ejus parentibus in sæculo relictis, legitima debetur, & quidem à die professionis, etiam ante mortem naturalem professi, *arg. cap. 14. de Regular. & ibid. Gonzal. & Greg. Lop. in l. 17. tit. 1. p. 6. & alii contra alios. Si autem Religio sit successione incapax, ne bona sine dominio sint, hæredibus legitimis professi ejus bona adquiruntur, perinde, ac si naturaliter esset mortuus. Omnia quidem Monasteria Regularium, tam virorum, quam mulierum, & etiam Mendicantium, præter Monasteria Fratrum Minorum de Observantia, & Capuccinorum, & Moscosque professas nostræ Societatis, possunt bona immobilia possidere, & consequenter in ea succedere. *Trid. sess. 25. de Regul. cap. 3. de quibus latissime. *Sanch. in Decal. lib. 7. ex cap. 12. & alii. Licet quidem Statuto Municipali non possit tolli jus succedendi in bona professorum, quod Monasteriis competit, cum Magistratus Sæcularis non valeat tale Jus Ecclesiasticum sine Pontificis consensu auferre, seu abrogare, potest tamen consuetudine legitime præscripta qua-********

dræ.

draginta annis omnino tolli, & abrogari, cum hujusmodi jus solo jure humano Monasteriis debeat, ac per consequens per consuetudinem, sicut alia quilibet Lex humana potest utique abrogari, *cap. fin. de Consuetud. cap. 4. cap. 6. de Præscript. & quamvis in nostra Hispania ex L. 11. tit. 6. lib. 3. for. Reg. Omnia bona Religiosi ad filios, & consanguineos, excluso Monasterio, pertineant: hoc tamen usu non servatur. Sanch. in Decal. lib. 7. cap. 12. n. 13. ac proinde talis Lex fori vim non habet. De modo succedendi in bona vinculata, seu majoratus, seu primogeniorum in nostra Hispania, quin & in Regiam Coronam jam satis diximus loquendo de feudis, cum quibus tales majoratus affinitatem habent.*

## TIT. XXXVIII.

## De Sepulturis.

224 **R**atio ipsa naturalis omnes Gentes edocuit, defunctorum corpora sepelire. Sed pro varietate temporum, & Nationum diversimodè cadavera sepeliebant. Eshedones enim quadam barbara, & crudeli pietate parentum edebant cadavera, ut honestius ajebant ipsi ab hominibus, quam à vermibus devorarentur. Barcai vulturibus, quas aves sacras judicabant, devoranda cadavera exponebant. Politiore Nationes ea cremabant, ut sic cineres à corruptione eximerentur, & quidem aliquando magna cum pompa, & solemnitate hoc fiebat, ut depingit Poeta. *Lib. 11. Aneid.* Sed usus frequentior, & communior erat cadavera sub terra collocare: & sic olim Ovidius fuit in Ponto sepultus. *En. jacet Euxinis Vates Romanus in oris; Romanum Vatem barbara terra tegit.* Locus autem in quo cadavera sepeliuntur, communiter dicitur sepultura, vel sepulchrum, vel sarcophagus: & etiam tumulus, quasi tumens humus; quod si sepulchrum sit Regium, vel magnificentum, Mausoleum appellatur. Et sanè adeo debita est cadaveribus humanis sepultura, sic ipsa natura suadente, ut cadaver defuncti non debet à sepultura impediti ratione aris alieni, quantumcumque defunctus debitis sit gravatus: imò nec bona ejus occupari possunt per violentiam, vel aliàs: nec ejus hæres, vel familia potest infra novem dies post sepulturam in jus vocari. Si tamen timeatur occultatio, vel dilapidatio bonorum, tene-

tur hæres fidejussore dare. *L. fin. tit. 13. p. 1.* Jure siquidem Civili quilibet privatus poterat in suo, vel etiam in alieno fundo, de Domini consensu, cadaver sepelire, & locus ille Religiosus fiebat, & erat extra hominum commercium. *§. 7. §. 9. Instit. de Rer. divis.* Sed Jure Canonico debet accedere authoritas Episcopi, qui aliquem locum ad sepulturam fidelium designet, *cap. 4. de Religios. domib. l. 14. tit. 13. p. 1.* & sic ad prædictum effectum sunt deputata Cæmeteria, & Ecclesie. *L. 1. tit. 13. p. 1.* postquam tamen aliquis fundus est deputatus ad sepulturam fidelium (secus antè) nullum pretium potest peti, vel accipi, nec pro ipso fundo, nec pro jure, nec pro actu sepeliendi: quia cum hæc sint spiritualia, simonia committeretur. *L. 1. tit. 13. p. 1.* aliquid autem per se valet pro conservatione, & reparatione Cæmeterii, pro sustentatione Ministrorum, pro loco digniori sepulturæ, pro obligatione non admittendi ad certum locum, nisi defunctos ex tali familia: vel etiamsi per modum elemosynæ detur. Potest ergo quis de licentia Episcopi, vel Prælati Regularis, quod suam Ecclesiam, sepulturam ubi ædificat, & suæ familiae, extraneis exclusis deputare: & sepulchrum familiare dicitur. *L. 1. tit. 13. p. 1.* vel sibi, & suis heredibus, & dicitur hereditarium. *L. 5. l. 6. ff. de Religios. & sumpt. funer. & licet tale sepulchrum non possit vendi per se, quia est res Religiosa, vendito tamen Castro, cui est annexum jus sepulturæ hoc per quamdam consequentiam transit cum universitate bonorum ad emptorem Castri, sicut in prædiero casu jus patronatus etiam transiret. Ecclesia verò potest sepulchrum familiare, vel hereditarium alicui concessum, extincta familia, vel nullis relictis heredibus, quasi jure devoluto aliis concedere; arg. *L. pen. C. de Usufr. vel etiam ex alia justa causa. Barbosa. de Offic. Paroch. cap. 26. num. 15.**

265 Quilibet mentis compos potest regulariter sibi sepulturam eligere in loco, qui ejus sepultura habeat. Nulli (ait text. in cap. 1. b. t.) negamus propriam eligere sepulturam, Dominus enim, & Magister alienam elegit ut propriam. *L. 5. tit. 13. p. 1.* Uxor enim sine consensu mariti, filius familias, si pubes sit, absque patris consensu possunt quidem sepulturam eligere. Nam in hoc, nec mariti, nec patris potestas locum habet, *cap. 4. b. t. in 6. Novitij*, cum propriè Religiosi non sint, præcipue in odiosis, possunt etiam sepulturam eligere: quod si non eligant, in Monasterio

rio sepeliuntur: sed in hoc est cujusque Religionis servanda consuetudo. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 14. n. 10.* Impuberes autem ob judicii defectum sepulturam non eligunt, sed sepeliuntur in electa à suis parentibus, si hoc permittit loci consuetudo; vel in sepulchro majorum, vel in Parochiali sepeliuntur. Religiosi tamen, cum velle, aut nolle non habeant, nequeunt sepulturam eligere: nisi adeo à suo distent Monasterio, ut illuc ferri non possint: tunc namque eam eligere possunt. *c. fin. b. t. in 6. quod si non eligant, in Parochia sepeliuntur. Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 14. n. 4.* Prælati Regulares, etiam Locales, cum in pluribus velle, & nolle habeant, possunt sibi sepulturam eligere, sed juxta sui Ordinis Regulas. *Sanch. in Decal. lib. 6. c. 14. num. 7.*

266 Sepultura quidem debet fieri tribus saltem cubitis ab altari in tumba profunda, & non in sepulchro extructo supra terram: & non est celebranda Missa in altari, sub quo, vel sub cujus gradibus sunt sepulta corpora defunctorum, ut à S. Congreg. est decretum *Laer. lib. 7. n. 242.* & licet olim in Ecclesiis solum sepelirentur Episcopi, Abbates, Presbyteri digni: & Laici Reges, Reginae, & eorum filii, vel qui erant in magna dignitate constituti, vel pro sanctis habitii. *c. 18. 13. q. 2. c. 15. 13. q. 2.* ibi: *Prohibendum est etiam secundum majorum instituta, ut in Ecclesia nullatenus sepeliatur; sed in atrio, aut in portico, aut in exedris Ecclesie, intra Ecclesiam verè, & propè altare, ubi corpus, & sanguis Domini conficitur nullatenus sepeliatur. L. 11. tit. 13. p. 1.* Hodie tamen quilibet Christianus, si Ecclesiastica sepultura non est privatus, in Ecclesia seu Cæmeterio sepeliri debet. *c. 17. 13. q. 2.* ibi: *Cum gravia peccata non deprimunt, hoc prodest mortuis, si in Ecclesia, sepeliantur, quod eorum proximi, quoties ad eadem sacra veniunt, suorum, quorum sepulchra aspiciunt, recordantur, & pro eis Domino precis fundunt.* Deinde quia diaboli non sic appropinquant Cæmeteriis, sicut aliis locis profanis. Olim tamen sanctum erat, quod sepulchra essent extra urbem propter factorem. *L. 2. tit. 13. p. 1.* ibi: *Porque il fedor dellos non corrompiesse el ayre, nin matasse à los vivos.* Et in *L. 4.* dicitur, quod Cæmeterium est quasi cineriarum: quia ibi cinis mortuorum teritur. Sed si in rigore Græci sermonis Cæmeterium sumatur, significat dormitorium, & ideo sic dicuntur: quia mortui in eo dormire dicuntur. *c. 28. 13. q. 2.* & pro

Cæmeteriis habendis assignabantur Ecclesie Cathedrali, vel Conventuali quadraginta passus in circuitu; aliis Ecclesiis triginta passus, nisi aliquid obstaret impedimentum. *c. 6. 17. q. 4. L. 4. tit. 13. p. 1.* Jus quidem sepulturæ de Jure Communè Ecclesie Parochiales habent: & ex privilegio Ordines Prædicatorum, & Minorum, *Cl. Dudum 2. b. t. Extr. super Cathedralam. eod. int. com.* & alie Religiones ex privilegiorum communicatione: ita tamen, ut de funeralibus, & de quibuscumque obventionibus, & relictis, etiam de quibus aliàs non debetur portio Canonica, quartam, & non ultra, solvant Ecclesie Parochiali. *Cl. 2. b. t. famuli domestici Ordinum Mendicantium intra septa Monasterii mortui in eorum Ecclesiis possunt sepeliri, etiam invito Parocho loci ex privilegio concessio fratibus Minoribus, & aliis. Peregrini Sæculares, qui in Monasteriis moriuntur, præscindendo à privilegiis specialibus Ordinum Mendicantium, si quæ ad hunc effectum habent post *Tria. sess. 24. de Ref. cap. 11. & 13.* non possunt in Monasteriis sepeliri, ut à S. Congreg. declaratum dicitur. Nec possunt Regulares juri sepulturæ in Ecclesia jam erecta quæsito renuntiare, nisi adhibitis solemnitatibus necessariis ad alienationem rerum Ecclesiasticarum. *Extr. Ambrosiana, de Rebus Eccles. int. com.* quin nec possunt liberè renuntiare pro Ecclesia erigenda, pacto inito cum Parocho: quia licet tunc non jus quæsitum, sed quærendum renuntietur, latè tamen fit alienatio prohibita in dict. *Constit.* In Ecclesia interiori Monialium nullus potest sepeliri, imò nec in exteriori posse sine S. Congreg. licentia resolutum tenet *Nicol. Flosc. V. Sepultura, Pignatell. tom. 4. cons. 117.* & alii posse tamen in Ecclesia exteriori sepeliri tenent *Gonzal. in c. 3. b. t. num. 5. & alii.* Imò juxta causa potest dari, ut alicujus Principis filia intra Claustrum sepeliatur. *Laer. lib. 7. num. 236. Pignatell. & alii.* Sepeliendi quidem privilegium non solum Romanus Pontifex, sed etiam Legatus à latere, intra suam Provinciam, Episcopus, & alii Prælati, quasi Episcopali jurisdictione gaudentes intra suam Diocesim, & territorium concedere possunt. Cum tamen causa sit ardua, & præjudicialis, non aliter hoc potest concedi ab Episcopo, quam ex juxta causa, & consensu Capituli. *Abb. in c. 9. b. t. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 214. n. 21.* Parochus autem non potest alicui concedere jus proprium, & perpetuum sepulturæ in cer-*

certo loco, è quo alii possint excludi. *Lac. lib. 7. n. 244.*

267 Potest tamen quis relicto majorum, vel Parochiali sepulchro, ex juxta devotionis causa eligere sepulturam in loco minus Religioso, in quo v. g. tantum semel, vel bis quotannis Missa, & Divina Officia celebrantur. *c. 2. §. fin. h. t. in 6. dummodò talis locus absolutè Religiosus sit, secus si sit absolutè profanus, & sic intelligitur Text. in c. 3. h. t. & concordatur cum Text. in c. 2. eod. in 6. Gonz. in c. 3. h. t. n. 9. Si Titius, v. g. in Cui arbitrium, ut potest, electionem sepulturæ retulit, si Cajus non elegit sepulturam, vivente Titio, non potest eam, eo jam mortuo eligere: sed vel in Ecclesia Majorum, vel in Parochiali erit Titius sepeliendus, cum per ipsius mortem sine electione sepulturæ jus sepulchro majorum, vel Parochiali quæsitum sit; *arg. c. 20. de Offic. Delegat. ubi morte delegantis re adhuc integra expirat mandatum, vel commissio. Electio autem sepulturæ probatur per testamentum, vel codicillum, etiam invalidum, vel per quamlibet aliam scripturam propriæ manus defuncti, vel per duos, vel tres testes: imò, & per unicum aliis adminiculis concurrentibus: & juxta aliquos, etiam per assertionem Confessarii. Quod si Clericus, vel Religiosus (secus si Laicus) aliquem inducat ad eligendam sepulturam, vel ad non immutandam jam electam in Ecclesia, in qua alias sepeliri non deberet, adjecto voto, juramento, vel promissione (secus sine illis) in favorem propriæ Ecclesiæ inducentis: v. g. si Religiosus Franciscanus inducat morientem, ut in sua sepeliatur Ecclesia (secus si non in favorem suum, sed alterius inducat) & aliunde inductio sit causa efficax talis electionis: sic ergo inducens, ipso facto incurrit excommunicationem Summo Pontifici reservatam, & votum, juramentum, vel simplex promissio, irrita, & nulla sunt: ac proinde sic eligentes debent sepeliri in illa Ecclesia, in qua erant de jure sepeliendi, si alia legitime non electa sepultura forsitan decesserint. *c. 1. h. t. in 6. Juramentum, vel votum circa sepulturam eligendam independentè à tali inductione factum, servandum est, cum sine peccato valeat servari. c. 28. de Jur. jur.***

268 Qui sepulturam non elegit, sepeliendus est in sepulchro majorum, seu ascendentium ad exemplum veterum Patriarcarum. *Genes. c. 25. c. 49. c. 50. c. Ebron, 2. c. 7. c. 8. 13. q. 2. c. 1. h. t. L. 3. l. 5. tit. 13. p. 1. quod si diversa sepulchra di-*

versi habeant ascendentes, sepulturam patris ad instar domicilii sequi debet defunctus; *arg. L. 6. ff. ad Municip. nisi solus pater in eo sepulchro fuerit sepultus: tunc enim aliorum majorum sepulturam sequetur: secus est, si illud sepulchrum sit à patre pro familia electum. Filius adoptivus defunctus, vivente patre adoptivo in ejus est sepeliendus sepulchro, si eo mortuo, filius moriatur, in sepulchro patris naturalis sepelietur. Filii naturales, non legitimi cum patre, nisi is in dignitate sit constitutus, sepeliendi sunt; *arg. L. 17. §. 4. ff. ad S. C. Trebel. spurii cum matre, nisi hæc sit familiæ illustris, sepeliuntur. Sylv. V. Sepultura, q. 8. Uxor legitima (secus sponsa) si non est separata à marito ob adulterium, & cum sit vidua non vivat impudicè si sepulturam non elegit, in sepulchro mariti, quando hic præmortuus est, sepelitur: si plures habuit maritos, in sepulchro ultimi sepelietur. *c. 2. c. 3. 13. q. 2. ut quos conjunxit unum conjugium, unum conjungat sepulchrum: quia una caro sunt, & mulier debet sequi virum, sive in vita, sive in morte. Si vivente marito ipsa moriatur, & ille elegerat sepulturam in ea est sepelienda uxor, si non elegerat maritus sepulturam, uxor in suorum majorum sepulchro sepelietur. Sed cum maritus non sequatur domicilium, nec jura uxoris, non debet ipse in sepulchro uxoris præmortuæ sepeliri; *arg. c. 3. 13. q. 2.****

269 Qui nec sepulturam elegit, nec habet proprium majorum sepulchrum, sepelitur in Parochia, ubi domicilium habuit, etiamsi casu alibi mortuus sit, dummodò ad Parochiam absque incommodo, vel periculo deferri possit. *c. 3. h. t. in 6. L. 5. tit. 13. p. 1. si in duabus Parochiis domicilium habebat, sepeliri debet ubi Sacramenta percepit: quod si in utraque percepit, sepelitur in ea, quæ prævenit: quod si lis oriatur, ab Episcopo componetur. *Molin. de Just. & Jur. tr. 2. D. 214. n. 13. Greg. Lop. in L. 5. tit. 13. p. 1. V. Los Sacramentos. Etiam potest quis sepeliri, ubi quasi domicilium habet: v. g. studiosus in loco Academicæ, cum ibi ipse Parochianus fiat quoad Sacramenta. *c. 46. 16. q. 1. c. fin. de Paroch. Sanch. de Matrim. lib. 3. D. 23. n. 13. & alii contra aliquos apud eundem. Canonici habitans privatim in Parochia urbis, eo quod Curiam non habeat in campo Cathedrali, debet recipere Sacramenta à Parocho domicilii: nec Parochus Cathedralis potest in aliena Parochia Sacramenta administrare, licet Cathedralis sit***

sit Matrix, & possit cuicumque ad eam accedenti ministrare Sacramenta: ac proinde debet talis Canonici solvere suæ Parochiæ quartam funeralium: sed regulariter sepelitur in Cathedrali, quia ibi solet esse locus proprius ad Canonico sepulturam deputatus: quod si talis locus non sit, in sepulchro majorum debet sepeliri, vel denique in Parochia, si aliam non eligat sepulturam. *Lacr. lib. 7. n. 245. Beneficiatus, si non eligit, nec habet sepulturam majorum, debet sepeliri in Parochia, in qua habet beneficium, servitium personale, & stabilem residentiam requirens: nam ibi contrahit proprium domicilium. *c. 29. de Rescript. etiamsi in alia Parochia habitacionem habeat, & in ea decessat. Qui in carcere moritur in Parochia carceris sepelitur, licet aliqui teneant, quod debet sepeliri in Parochia sui domicilii antiqui. Qui in exilio moritur, ibi sepelitur, nam ibi domicilium necessarium contrahit. *L. 22 §. 3. ff. ad Municip. Lacr. lib. 7. n. 247. Peregrini, advenæ, vagi, & ad mortem damnati, si non elegerint sepulturam, nec commodè ad sepulchra majorum possunt deferri, sepeliuntur in Parochia, in qua decesserunt, præcipue si à tali Parocho perceperint Sacramenta. *L. 7. tit. 13. p. 1. & ibid. Gregor. Lop. Molin. de Just. tr. 2. D. 214. n. 17. Quando defuncti sepeliuntur, non debent sepeliri cum vestibus, vel ornamentis pretiosis, vel cum auro, vel argento: cum hoc noceat vivis, & non prosit defunctis: quin & ipsis nocet, cum improbi homines ex hoc ad cadavera exhumanda alliciantur. Reges verò vel Reginæ, & aliæ personæ valde illustres juxta Patriæ, vel Regni consuetudinem cum vestibus pretiosis sepeliuntur, Episcopi, & Sacerdotes cum vestibus suæ Dignitatis, & ministerii propriis sepeliendi sunt. *L. 13. tit. 13. p. 1. & ibid. Greg. Lop. Collegæ Majores, etiamsi in aliqua dignitate sint constituti, cum sui Collegii toga sepeliuntur: etiam Doctores cum sui Gradus insignibus, sicut & Milites cum insignibus suæ dignitatis, militarique pompa humanantur: possuntque similes personæ in suis sepulchris arma, vel insignia Gentilitia affigere.*****

270 Jus quidem sepeliendi defunctos competit Parochis, vel aliis Clericis de Parochorum assensu: Clericis tamen deficientibus, possunt Laici mortuos sepelire, sed sine Officio Ecclesiastico; nam inhumanum esset cadaver relinquere insepultum. *L. 3. tit. 13. p. 1. Canonici Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiæ non possunt levare ex alienis Parochiis corpora defunctorum sine Parochorum consensu. *Lacr. lib. 7. n. 245. Pig-**

*nat. tom. 6. cons. 59. & alii. Si Religiosi, vel alii Clerici in sua Ecclesia sepellerunt defunctum, qui in Parochia debet sepeliri, debent cadaver sepulchrum illegitimè, restituere, una cum omnibus ratione illius acceptis. *c. 5. 10. h. t. etiamsi esset Parochus, qui sepelivit, & tunc privatur portione Canonica. *Barb. in c. 6. h. t. n. 3. Si lis oriatur inter Parochiam, & aliam Ecclesiam super jure aliquem sepeliendi, & nequeat citò decidi: cum hominis sepultura dilationem non patiatur. *L. 38. ff. de Religios. & sumpt. funer. in Parochia defunctus sepeliatur postposita appellatione; & cum Parochia habeat fundatam intentionem, alteri probare incumbit, jus sepeliendi ex privilegio, vel electione sibi competere. Et licet spoliatus, ante omnia, debeat restitui, hoc tamen cessat casu, quo aliqua Ecclesia petat sibi restitui cadaver alibi sepultum, quo se diceret spoliata, ad vitandam cadaveris vexationem, quæ sequeretur ex ejus exhumatione, quæ forte postea erit repetenda, si Ecclesia obtinens in possessorio, postea succumbere in petitorio. *c. 6. h. t. Cadavera equidem semel sepultura tradita non debent exhumari, & alio transferri. *L. 14. C. de Religios. l. 11. tit. 13. p. 1. & à S. Congreg. 11. Sept. 1643. sunt reprehensivi quidam Regulares; quia permississent exhumari cadaver sine consensu Episcopi, ut à Magistratu Sæculari recognoscere. Quod si alicujus cadaver est in aliqua Ecclesia sepultum tanquam in deposito, potest extrahi, etiam sine Episcopi licentia. *L. 11. tit. 13. p. 1.*******

271 Cum dignus sit Operarius mercede sua, ut Christus Dominus Discipulos edocuit. *Lac. 10. v. 7. & qui fuerunt socii passionum debeant esse, & consolatorum, secundum Apostolum 2. Cor. 1. v. 7. Parocho, qui sustinet onus Sacramenta suis Parochianis ministrandi, debet tribui in hujus oneris compensationem certa portio, quæ quia à Jure Canonico statuta est, Canonica dicitur: quæ quidem aliquando est quarta, ut in *c. 8. h. t. aliquando tertia, vel dimidia, ut in *c. 1. h. t. vel alia juxta locorum consuetudinem, & temporum varietatem. *c. 9. h. t. quod si nulla in loco sit consuetudo, quarta pars dari debet. *L. 5. tit. 13. p. 1. Hæc quidem portio deducitur ex legatis, oblationibus, & aliis ratione funeris obveneribus Ecclesiæ, in qua defunctus sepelitur. *c. 1. h. t. sive sit sepulchrum majorum, sive sepeliatur in Ecclesia Cathedrali, vel Regularium, etiam exempta. *Cl. 2. h. t. l. 7. tit. 13. p. 1. sive defunctus ad Monasterium, infirmitate constitutus,*******

se transtulerit, & ibi moriatur. Scilicet est, si sanus est Religionem ingressus, & novitius moriatur. *c. 4. b. t. l. 6. tit. 13. p. 1.* Debent ergo tales Ecclesie solvere Parochie proprie defuncti Canoniam portionem, quam dicunt *mortuariorum*: sed tota hæc portio non spectat ad Parochiam: sed ex ea pars quarta deducitur Episcopo, tanquam loci Ordinario præstanda. *c. 16. de Offic. Ordinariar.* sed prius quidem deducenda est portio Parochialis, quam Episcopalis: ac proinde, si Ecclesia, in qua defunctus sepelitur, non sit exempta, ex his, quæ ipsi obveniunt, duas Canonicas portiones solvit: unam Episcopo. *c. 14. c. 15. de Testam.* alteram Parocho. *c. 1. b. t.* Si Ecclesia exempta sit, solum portionem Parochialem solvet. In nostra Hispania non tribuitur Episcopo hæc quarta portio, sed loco illius percipit *lucrosam*, quæ pro varietate locorum varia est. *Barb. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 19. Gonz. in c. fin. de Testam. n. fin.* Non tamen debetur hæc Parochialis portio, si Ecclesia ab ea præstanda sit exempta per consuetudinem legitimam: talis est quadragenaria cum titulo, vel inmemorialis sine eo. Nec item debetur, si ante electionem sepulture illud relictum sit: vel si solum in tali Ecclesia fuit ad tempus depositum cadaver: vel si pro ornamentis, fabrica, vel anniversario aliquid relictum est. *Barb. de Offic. Paroch. cap. 25. n. 47.* vel denique, si Ecclesia Regularis sit munita privilegio, in quo expresse derogetur. *Cl. Dudum, 2. b. t. Gonz. in c. 8. b. t. n. 6.* Et quidem Parochus nequit impedire, quod quis in hoc, vel illo loco sepeliatur, dummodò ei quarta pars funeralium detur: consequenterque potest quis extra Parochiam sepeliri, licet Parochus id nolit, & ideo comitari recuset. *Barb. de Offic. Paroch. p. 3. cap. 26. n. 19.* non tamen possunt Regulares, invito Parocho funus à Parochia elicere: quod si Parochi plus petant eo, quod aliquis apud Religiosos sepeliatur, excommunicantur per *Clem. & Urban. VII.* Quando quis in Ecclesia Regularium Exemptorum sepelitur, non solum potest Parochus prosequi funus, sed etiam ei adstare in tali Ecclesia cum Cruce, superpellico, & stola: officium autem à Regularibus peragendum est. Regulares tamen non possunt funus, etiam in sua Ecclesia peragendum cum stola prosequi: quippe stola denotat jurisdictionem externam, qua carent Regulares. In funeralibus autem unica tantum crux deferenda est, non quidem Regularium; sed Parochie, vel Capituli Cathedralis, si hoc funus committeretur. Sed in his omnibus loco-

rum consuetudo legitima attendenda est. *Laer. lib. 7. n. 237. Pignat. & alii*, potest quidem cadaver defuncti, de uno in alium locum occulte transferri, ut ibi sepeliatur, quin solvat quartam funeralium Parochis, per quorum Parochias transit: quia talis Lex non censetur habere locum pro foro conscientia. *Laer. lib. 7. n. 236.*

272 In sepultura Ecclesiastica nequeunt sepeliri. 1. Judæi, Mauri, Pagani, aliique Infideles. *c. 28. de Cons. D. 1. l. 8. tit. 13. p. 1.* etiamsi Cathæmeni sint, nec infantes, qui sine baptismo decesserunt. Si mater moriatur prægnans, & simul proles sit mortua, non est mater exsecanda, sed simul cum ipsa proles sepelitur: quia factus pars matris censetur. *L. 1. §. 1. ff. de Insuper. ventr.* Si partus vivit; vel saltem est dubium, an vivat: tunc postquam mater est mortua, & non antea, nisi possit fieri sine periculo vitæ, mater secunda est, & partus extrahendus: ut baptizetur. 2. Manifesti usurarii, nisi restitutione facta, vel de ea facienda, præstita idonea cautione. *c. 3. de Usur. c. 2. eod. in 6. L. 9. tit. 13. p. 1. 3. Maledici, sive blasphemii. c. 2. de Maledicis. 4. Monachi proprietarii. c. 2. c. 4. de Stat. Monach. 5. Concupinari, latrones, & alii publici peccatores, qui sine poenitentia notorie decedunt. *c. 16. 13. q. 2. l. 9. tit. 13. p. 1.* etiam incendiarii, & raptores, si ante restitutionem sine poenitentia signis decedant. *c. 2. c. 5. de Raptor. L. 9. tit. 13. p. 1.* injuste retinentes decimas Ecclesie debitas. *c. 19. de Decim. 6. Communionem Paschalem, & confessionem annuum culpabiliter omittentes. c. 12. de Poenit. & remis. 7. In duello, etiam privato, insituito tamen ex conducto certo tempore, & loco, occumbentes. *Urid. sess. 25. de Ref. cap. 19. juncta Constit. Greg. XIII. Ad tollendam. An. 1582.* 8. In hastiludiis, & torneamentis, ex quibus mortis probabile periculum imminet, occisi. *c. 1. & fin. de Torneament. L. 10. tit. 13. p. 1. 9. Hæretici, & eorum fautores, receptorores, defensores, & credentes. c. 13. §. Credentes, de Hæretic. quod si ipsi mortuis, eorum hæresis appareat, & probetur, eorum ossa exhumantur. *c. 3. 24. q. 2. L. 8. tit. 13. p. 1. 10. Excommunicati vitandi. c. 12. b. t.* quia quibus vivis non communicavimus, nec mortuis, communicare debemus: nisi viventes reconciliari perierint; nam tunc possunt post mortem absolvi, & sepeliri. *c. 28. de Sentent. excom.* Si tamen ossa excommunicatorum sunt sepulta in aliqua Ecclesia, vel Cæmeterio, & discerni possunt, debent exhumari, & projecti extra Ecclesiam: non***

ta-

tamen debent exhumari, si nequeunt discerni. *c. 12. b. t. L. 8. tit. 13. p. 1.* in quo enim Ecclesia sequitur exemplum patristamiliæ, apud *Matth. 13. v. 29.* qui dixit, servis ne colligerent zizania, ne forte colligentes zizania, eradictis simul cum eis, & triticum: sinit utraque crescere, usque ad messem. Dum enim est sepultus in Ecclesia, vel Cæmeterio aliquis excommunicatus non toleratus, vel etiam infidelis, non sunt ibidem celebranda Divina, nec aliquis fidelis sepeliendus, sed: debet prius Ecclesia reconciliari, siquidem censetur polluta. *c. 7. de Consecrat. Eccles. L. 8. tit. 13. p. 1.* Imò si in Ecclesia est infidelis sepultus radi debent, & lavari illius parietes, & tigna. *c. 28. de Consec. D. 1.* potest tamen in Ecclesia sepeliri excommunicatus toleratus occultus, quin & publicus, cum sit permessa communicatio cum ipsis *ex Const. Ad evitanda*, si scilicet, datis poenitentia signis decesserit: expedit tamen, ut prius ab excommunicatione absolvatur. *Suar. de Censur. D. 12. sect. 4. n. 5. & alii.* Et quidem ut excommunicatus possit gaudere sepultura Ecclesiastica in mortis articulo potest, etsi censura sit Pontifici reservata, absolvi à quocumque simplici Sacerdote, facta tamen prius satisfactione parti læsæ, vel cautione præstita de ea facienda. *c. fin. b. t.* siquidem in articulo mortis omnis cessat reservatio: precipue, si non adsit habens jurisdictionem delegatam, vel ordinariam ad absolvendum ab excommunicatione. Nec interdicti notorii, & denunciati in Ecclesia valent sepeliri, nisi constet, vel rationabiliter præsumatur, quod dederint signa poenitentia.

273 11. Nequeunt insuper in Ecclesia sepeliri, qui se ipsos sponte occidunt veneno, laqueo, ferro, vel se precipitando in flumen, vel puteum, & de tali facto non poenituerunt. *c. 12. 23. q. 5.* Secus est, si furore, vel amentia se accidant, vel casu in puteum prolabantur, vel se precipites per fenestram dent, ut periculum vitæ, vel pudicitia vitent. *c. 11. b. t.* Vel si postquam quis se læthaliter vulneravit, ante mortem poeniteat: vel si inveniatur laqueo suspensus, nec constet, an à se, vel ab alio interfectus sit. *L. 9. tit. 13. p. 1.* cum in dubio non præsumatur delictum. *L. 51. ff. Pro socio.* In his enim, & similibus casibus debent se occidentes sepeliri in Ecclesia. Dam-natis ad mortem non est neganda Ecclesiastica sepultura. *L. 30. 13. q. 2.* cum ipsis non denegentur Sacramenta. *L. 7. tit. 13. p. 1.* possunt tamen certorum reorum cadavera in perpetuum, vel ad certum tempus

Tom. I.

insepulta, & in loco publico suspensa ad aliorum terrorem, & exemplum relinquit, & Medicis tradi ad anatomia experimenta, sic suadente Reipublicæ communi bono, & utilitate, & sic fuit responsum ab Universitate Salmantina ad consultationem Caroli V. *Hevja in Cur. Philipp. p. 3. §. 17. n. 16.* Non tamen debent frequenter corpora defunctorum sic relinqui, nisi hoc atrocitas suadeat delicti. Et sic sunt intelligendi *Textus in L. fin. C. Si reus L. 6. ff. de Public. judic. l. 1. l. fin. ff. de Cadaver. punitor.* Si reus in carcere decedat, postquam ultima sententia condemnatus est, vel si per facti evidentiam, vel judicalem confessionem de delicto constet, ita ut nulla proors ipsi competat defensio potest ejus cadaver, si delictum sit valde atrox, & perniciosum in furca suspendi: ut sic magis à delictis patrandis homines absterceantur. Si tamen reus nondum erat condemnatus, nec convictus, nec deprehensus in notorio, vel flagrante crimine, non debet post mortem puniri; nam morte omnia crimina extinguuntur. *L. 3. l. 6. ff. de Public. judic.* Hæretici tamen etiam post mortem puniuntur. Tandem qui sepeliunt, vel præsumunt, vel mandant, vel procurant sepelire excommunicatos vitandos, vel nominatim interdictos, vel manifestos usurarios, ipso facto excommunicati sunt: graviter enim delinquant hoc facientes voluntarie, scienter, & sponte in contemptum clavium: itaque, ut absolvantur, debent satisfactionem competentem præstare ad arbitrium Episcopi Diocesani his, quibus injuriam irrogarunt. Et hanc quidem excommunicationem incurrit etiam exempti. *Cl. 1. b. t.* Qui furatur cadaver alicubi sepultum, vel qui demolitur sepulcrum, vel qui amovet insignia, vel arma in aliquo sepulchro affixa, vel aliter jura sepulchrorum violat, infamiam incurrit, & civiliter, & criminaliter punitur. *L. 1. l. 8. l. 9. ff. de Sepulchro violat. l. 1. tit. 14. p. 1.*

## TIT. XXIX.

## De Parochiis, &amp; alienis parochianis.

274 **P**arochia olim significabat illud spatium, intra quod peregrinantibus præbebatur necessaria, Parochia tamen sacram vicinam significabat. *Gonz. in c. 2. b. t. n. 7.* Hodie verò utrumque nomen idem sonat, significatque incolatum,

Bbbb 2

scu

seu habitationem, & aliquando late sumitur pro tota Diocesi. *Can. 13. & 33. Apostol. c. 4. c. 5. D. 92. c. 3. b. r.* In presentiam tamen, & in communi sensu significat alicujus Diocesis Ecclesiam, que habet populum certis limitibus distinctum: & insuper Presbyteriam, seu Rectorem, qui ex officio administrat Sacramenta, Verbum Divinum, & alia spiritualia. Etiam frequenter sumitur Parochia pro ipso populi territorio. Limes, linea seu longitudo distinguens spatium à spatio Hispanè: *Lindero, à mojon.* Regulariter designatur per lapides, montes, arbores, vel fluvios: quod si forte lapides terminales amoveantur, debent alii, quam citius subrogari, ut sic litibus obvietur: nam ut ait Virgilius citatus à D. *Isidoro in c. 10. de V. S. Limes erat positus litem, ut discerneret agris.* Hac ergo ratione limites Diocesium, & Parochiarum ab Apostolis, & eorum successoribus fuerunt constituti, semperque debent constitui auctoritate Ecclesiastica, minimè verò Seculari. *c. 1. & seq. D. 80. c. 1. D. 99. c. un. 13. q. 2. c. 8. de Excess. Pralat. Barb. de Offic. Episc. p. 1. cap. 7. n. 7.* Nam ad Summum Pontificem in toto Orbe, & ad Episcopos in suis Diocesium pertinet limites Parochiarum constituere, & vel constitutos mutare. In his quidem Insulis proprium territorium unicuique Religioni, quasi pro Parochia assignatum est ut sic competentis, & litibus obvietur. *L. 34. tit. 15. lib. 1. R. Ind. ibi: Mandamos al Governador, y Capitan General, y encargamos al Arzobispo, que juntos dividan las provincias de su cargo para la doctrina, y conversion de los naturales entre los Religiosos de las ordenes, en tal forma, que donde los hubiere Agustinos, no aya Franciscos, ni Religiosos de la Compañia donde hubiere Dominicos, y assi respectivamente en cada Provincia su Orden.* Et in *L. 13. ejusdem tit.* dicitur, quod si constet evidenter Vice-Patrono de justa, gravi, & legitima causa removendi aliquam Religionem ab aliqua administratione, possit hoc cum Ordinarii Consilio facere. Deinde: quando in administratione alicui Religioni comissa magna invenitur, forte ob distantiam, incommoditas, potest Vice-Patronus cum Consilio Diocesani talem administrationem alii Religioni proximiori committere, & additur: *Recompensando en otras à la que las tenia, y procurando el beneficio de los Superiores; y si no consintieren en ello, suspendan la execucion, y nos avisen en la primera ocasion.* Renuntiatio Parochiarum fit coram Diocesano, & hic Vice-Patronum de tali renuntiatione debet mon-

ere. *L. fin. tit. 6. lib. 1. R. Ind.* Præterea Capellani Exercitium, Navium, vel trirremium sunt quasi Parochi Legionis, vel Navis sibi commissæ, & juxta facultatem ipsis à Pontifice, vel Ordinario, in cujus Diocesi sunt, concessam, & non aliter, poterunt Sacramenta administrare. *Ex Decr. S. Cong. 29. Jan. 1707. apud Reinsens. de Glandest. desponsat. n. 96.* In nostra Hispania hujusmodi Capellani ab Episcopo Diocesis approbantur, & à Vicario Generali exercitus à Rege assignati, deputantur singulis Legionibus pro administratione Sacramentorum. *Ex Const. Innoc. X. 26. Sept. 1644. apud Benitez Monte, Tract. Milit. à fol. 14.* Pro Indiis habemus. *L. 24. tit. 4. lib. 3. R. Ind.* & magis in specie pro his Insulis. *L. 50. tit. 6. lib. 1. R. Ind.* ibi: *Declaramos, y mandamos, que el nombramiento de Capellan Mayor, y otros Capellanes de las Armadas, Galeras, y Navios, y cualesquier Baxeles de nuestra cuenta nos pertence, y en nuestro nombre à los Capitanes Generales de las Islas Filipinas, y las demás partes de las Indias, donde sea necesario nombrarlos, como se hace en las Galeras de España, Italia, y otras partes: y rogamos, y exhortamos à los Arzobispos, y Obispos, que no los nombren, y solamente intervengan en dar su aprobacion, y licencia para administrar los Santos Sacramentos: quo facto videntur prædicti Ordinarii, Vicarii Generales constitui.*

275 Parochia constituitur auctoritate Episcopi, qui quidem locum, in quo populus deputatus degit, certis limitibus designat, cui præse debet certus Rector, qui Parochus, proprius Presbyter, seu Sacerdos, & Plebanus appellatur. Et quidem debet esse unicus, quia est quasi sponsus illius Ecclesie. *c. 4. 21. q. 2.* gaudetque potestate in foro interno conscientie ligandi, atque solvendi: ipsique conceditur, & jure proprio incumbit cura animarum per Sacramentorum administrationem exercenda, & in hoc sensu, & non in alio Parochia beneficium curatum dicitur: gaudetque propterea jure administrandi Sacramenta, confessionem scilicet Eucharistiam, Extremam-Uncionem, & Baptismum, Matrimoniumque assistendi, & sepeliendi Parochianos. Et licet alicuius Ecclesie aliqua ex his, ex privilegio, vel consuetudine competant, tamen omnia simul solum in Parochiis de Jure Communi inveniuntur. Populus autem ad Parochiam constituendam debet constare saltem decem familiis. *c. 3. 10. q. 3.* sicut grex decem ovibus constat. *L. 3. ff. de Abigeis.* Jura igitur Parochie sunt sequenti. 1.

fontem baptismalem habere: siquidem Parochia competit post Pontificem, & Episcopum jus Parochianos baptizandi; *arg. c. 56. 16. q. 1.* debetque habere librum, in quo notet accuratè diem nativitatis & baptismi, & parentes baptizati: vel si expositus est, notet ubi fuit repertus: etiam debet notare paternos, librumque debet sub custodia diligentè servare. 2. ad Parochiam forum penitentiale spectat. Nam Parochiani de jure debent semel in anno in sua Parochia confiteri. *c. 12. de Penit. & remission. L. 34. tit. 4. p. 1.* & Parochus sub gravi tenetur illis tunc hoc ministrare Sacramentum: siquidem ejus officium est pacere gregem: imò & ministrare tenetur, quoties Parochiani illud rationabiliter petunt: secus si importune. 3. Ad ipsum spectat Eucharistiam administrare: quam semel in anno, tempore, scilicet Paschali; in Parochia tenentur parochiani suscipere. *c. 12. de Penit. & remis. L. 34. tit. 4. p. 1. ibi: E otrosi debe recibir el Cuerpo de nuestro Señor Jesu-Christo à lo menos una vezgada en el año por día de Pascua Mayor, que es la resurreccion: fueras ende si lo dexasse por consejo de su Maestro de Penitencia.* Et quidem olim communicare ex obligatione tenebantur fideles ter in anno: videlicet in nativitate Domini, in Paschate Resurrectionis, & in Pentecoste. *c. 16. c. 19. de Cons. D. 2.* & si his temporibus non communicabant, non habebantur pro Catholicis: quin, & tempore nascentis Ecclesie quotidie fideles communicabant. *c. 59. de Cens. D. 1. junct. Glos.* Sed hodie ex *Const. Innoc. XI. Ann. 1679.* Communio quotidiana sub certis limitationibus moderata est. 4. ad Parochum spectat matrimonium solemnizare, illaque benedicere; adè ut nulla sint matrimonia, quæ Parochi præsentia, vel alterius Sacerdotis de ejus licentia, destituantur. *Ex Trident. sess. 24. de Ref. matr. cap. 1.* debet item Parochus diligentè notare in libro conjugatorum diem conjugii, nominaque conjugatorum, & patrinorum.

276 5. Parochus debet infirmis Extremam-Uncionem administrare. 6. verbum Dei prædicare per se, vel per alios diebus Dominicis, & festis. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 4.* prædicare namque ex officio Parochis, & Episcopis incumbit; *arg. c. 13. §. Quia verò de Heretic.* ex privilegio autem Mendicantes prædicare possunt, & præcipue Societatis: nam hi, dum prima tonsura initiati sint, & aliquando etiam Novitii, prædicare valent. Sed cum præcipue hæc obligatio Episcopos, & Parochos tangat S. D. N. Benedictus XIV. zelo motus

animarum, urget ipsos, ut tanto muneri doctrinam christianam tradendi; satisfaciunt, vel per se, vel per alios, etiam per Clericos in minoribus constitutos: quin & per ludi Magistros ut doceant suos discipulos, & per piæ foeminas, ut puellas doceant, modo præscripto in *Const. Et si minimè. 7. Febr. An. 1742. \** 7. ad Parochum spectat benedicere Cineres in die. 1. Quadragesimæ, scilicet in feria 4. Cinerum: palmas in Dominica Palmatum, Cereæ in die Purificationis, & fontem baptismalem: debetque Missam in Coena Domini celebrare, itemque in Sabbato Sancto Insuper debet denunciare matrimonia, festivitates, jubilæa, vigiliis, quibus jejunandum est, & etiam indulgentias: debetque Sanctissimum Sacramentum Eucharistie, & processiones per Parochiam deferre: decimas, oblationes, & primitias percipit. Denique debet mortuos sepelire, & in libro defunctorum diem sepulturæ notare, ut semper possit constare de illorum morte ad varios effectus, Sacramentum penitentie possunt Religiosi ex privilegio, etiam invitati Parochis, ubicumque fidelibus administrare. Imò, & Eucharistiam, excepta Communione Paschali, & sumptione Viatici: In his enim duobus casibus non aliter possunt Religiosi Eucharistiam ministrare, quam de licentia Parochi. Minimè verò possunt Religiosi baptismum, & Extremam-Uncionem administrare extra casum necessitatis nec possunt matrimonium solemnizare, nisi de licentia, & commissione Parochi. Imò *ex Cl. 1. de Privileg.* Incurrit Excommunicationem Pontifici reservatam Religiosus, qui Clericis, aut Laicis Sacramentum Unionis extremæ, vel Eucharistie ministrare, matrimonium solemnizare, non habita super his Parochialis Presbyteri licentia speciali, præsumperit, præterquam in casibus à jure expressis. Sed licet olim parochiani diebus festis tenerentur sacrum in propria Parochia audire: Hodie tamen per generalem consuetudinem, & Regularium privilegia possunt fideles in quacumque Ecclesia Missam audire. Et sic intelliguntur. *Textus in c. 4. c. 5. 9. q. 2. c. 2. b. t. & alii.* Et ut optime notat *Benedict. XIV. Tridentinum, S. Carolus Borromeus, S. Toribius Limanus, & alii præclarissimi viri, non præceptis, sed hortationibus plebem alliciunt ad Parochias frequentandas. \**

277 Parochi autem eliguntur ab Episcopis, vel præcedente concursu oppositorum, vel saltem habito prævio examine de idoneitate subjecti ita ut possit suas

oves pascere verbo prædicationis, & exemplo boni operis, & insuper habeat doctrinam sufficientem ad Sacramenta rite administranda. Parochus ergo debet habere 25. annos, quando actu administrat, potest tamen beneficium conferri ei, qui intra annum possit Sacerdotalem Ordinem suscipere: quod si non suscipiat, legitimo cessante impedimento, ipso jure beneficio privatur: Debetque Parochus professionem fidei facere, & obedientiam Pontifici jurare, vel per se, vel per Procuratorem speciale in manibus Episcopi, vel Vicari intra duos menses à tempore beneficii obtenti alias amittit beneficii fructus: quam quidem poenam probabiliter incurrit, etiam ante Judicis sententiam. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 12.* si tamen ex ignorantia, vel oblivione professionem non fecit, non amittit fructus in foro conscientiae, secus in foro exteriori. Quod si ad novum beneficium Parochiale promoveatur, iterum faciet professionem fidei. Parochus habet jurisdictionem ordinariam à jure in foro interno, ac proinde non indiget approbatione ad administranda Sacramenta suis Parochianis, potestque illorum confessiones audire, non solum in sua, sed etiam in aliena Parochia ejusdem Diocesis: Imò, & in toto Mundo juxta aliquos. Potestque suis Parochianis in observatione aliquorum Ecclesiae præceptorum dispensationem indulgere, si necessitas urgeat, & recursus ad Episcopum difficilis sit: v. g. ut die festo possint laborare, vel in die Veneris carnes edere. In votis autem dispensare nequit, nec ea commutare: nec potest censuras infligere, nisi ubi ex legitima consuetudine hoc introductum sit: nec potest peccata subditorum reservare, nec dispensare in proclamationibus, potest tamen declarare hic, & tunc non obligare proclamationis præceptum, ob aliquam urgentissimam tamen necessitatem, si Episcopus non possit adiri. *Laeroix lib. 6. p. 3. n. 494.* Insuper Parochus tenetur in Parochia residere: à qua non potest abesse ultra duos menses, nisi causa cognita, & approbata ab Episcopo: alias graviter peccat, nec facit fructus suos, saltem respondententes neglectæ residentia: Debet namque suas oves agnoscere, & aliquando visitare, præcipue infirmos, pro illis sacrificium offerre, Missas aliquando celebrando: pauperum, aliarumque miserabilium personarum, curam debet gerere paternam, peregrinos, & hospites suscipere: pauperibus eleemo-

synam dare: ad peste infectos accedere, quin, & cum vitæ periculo tenetur suis Parochianis in gravi necessitate spirituali succurrere. Quæ omnia ex *Trid. Barbosa de Offic. Paroch. & aliis* latissime constant. In Indiis autem Clerici, qui ad oppositionem, & consensum vbi Edictorum accedunt, examinantur ab Episcopo, vel Capitulo, Sedevacante, per Examinatores Synodales, & Assistentem Regium: Hic enim est communiter quidam vir doctrina conspicuus, qui nomine Regis examini assistit: sed nec examinat, nec suffragium habet. *L. 37. tit. 6. lib. 1. R. Ind.* Examine finito tres ex concurrentibus proponuntur ab Episcopo, vel Capitulo Pro-Regi, vel Gubernatori, qui nomine Regio patronatum exercet: hic unum eligit, seu nomine Regio præsentat, cui quidem datur collatio, seu Canonica institutio ab ipso Episcopo, vel Capitulo. *L. 24. tit. 6. lib. 1. R. Ind.* debetque sic instituitur, seu Parochus electus scire, vel addiscere linguam Indorum, quibus est administraturus, alias removetur. *L. 4. tit. 13. lib. 1. R. Ind.* In pluribus Indiarum Provinciis, & præcipue in Insulis, ob Clericorum Sæcularium inopiam Religiosi Parochiis præficiuntur. Et in Legibus Regiis doctrinas, reductiones, y doctrineros dicuntur. Sed certè tales Religiosi eandem obligationem, ac Parochi Sæculares habent: siquidem non administrant præcisè ex voto charitatis, sed ex obligatione justitiæ: quæ obligatio in aliis ex collatione Canonica, quam suscipiunt: in aliis ex contractu, vel quasi contractu cum Rege inito oritur: si quidem nostri Reges non aliter volunt, tales Religiosos ad has Provincias transire, nec in eis permanere, quam hac obligatione suscepta: in quam ipsi Religiosi consentiunt, eamque libenter, & sponte amplectuntur, & præterea Regium stipendium percipiunt. Itaque est declaratum in *L. 30. tit. 15. lib. 1. R. Ind.* & ita ego defendi cum Casus Morales in Collegio Manilano resolverem. Nunc demum pro digniorum electione statuit Benedictus XIV. quod omnia beneficia curam animarum habentia conferantur post concursum, maxima æqualitate quo ad examen in litteris inter omnes concurrentes habendum, post tale examen Episcopus eliger digniorem ætate, moribus, doctrina, aliisque qualitatibus juxta modum præscriptum in Constit. *Cum illud* 14. Decemb. An. 1742. \*

Cum

278 Cum in questione de limitibus Parochiarum agatur de cura animarum extendenda, vel restringenda, talis quidem questio, & causa spiritualis censetur, ac proinde ea, quæ ad jus circa ipsam spectant, non possunt ad Laicorum cognitionem spectare. *c. 3. de Probation. c. 1. c. 4. b. t.* nam Laici sunt incapaces jus spirituale possidendi. *c. 2. de Judic.* Consequenterque nec tempore immemoriali possunt Laici cognitionem limitum Diocesium, vel Parochiarum præscribere: Si verò tantum questio de aliquo facto incidat: v. g. si dubitetur, quousque limites Parochiæ extendantur: vel an alicujus populi vicini in hac vel in illa Ecclesia perceperunt Sacramenta, vel obtulerunt decimas, vel primitias: vel ante reus conventus Laicus sit: vel quid simile: in his enim casibus potest Judex Sæcularis cognoscere, cum factum, etiam de re spirituali, merè temporale sit. Et quidem licet fundus, vel solum, in quo sunt limites Parochiæ, vel Diocesis, possit præscribi ad hoc ut proprietas illius fundi, vel soli ad præscribentem pertineat ex Text. sic intelligendo in *c. 9. de Præscriptionib.* limites autem qua tales Diocesium, & Parochiarum, si certè sunt, non præscribuntur jure ipso tali præscriptioni resistente. *c. 5. c. 6. c. 7. 16. q. 3. c. 4. b. t. L. 3. c. de Fin. d. l. limitroph. lib. 11.* Et quidem nec immemoriali præscriptione ob textum generalitatem, valet præscribi: & meritò, ne facile confundantur limites autoritate publica, & ob publicam utilitatem constituti: & ut vitentur jurgia, quæ pullularent, si autoritate privata, antiquis limitibus ablatis, non possent constitui. Aliud est, quando limites non sunt certi: siquidem tunc ob præsumptionem in favorem possessoris possunt utique præscribi. *c. 4. b. t. c. 2. 16. q. 3. & comm. DD.*

## TIT. XXX.

## De Decimis, Primiciis, &amp; Oblationibus.

279 TRES partes continet præsens Rubrica, de quibus suo ordine agendum est jam ergo de Decimis quas Deo, & Sacerdotibus Dei dandas Abraham factis, & Jacob promissis instituit: deinde Lex statuit, & omnes Sancti Doctores commemorant. *c. 6. 16. q. 7.* & ut Augustinus dicit in *c. 66. 16. q. 1.* Si decimas dederis non solum abundantiam fru-

tuam recipies; sed etiam sanctitatem corporis, & anima consequeris. *L. 20. tit. 20. p. 1.* Et contra verò decimantibus infideliter eveniunt fames, paupertas, vermes, locustæ, & tempestates. Et ut ait *D. August.* ubi supra: *Hæc est enim Dei justissima consuetudo, ut si illi decimam non dederis, tu ad decimam revocaris: dabis impio militi, quod non vis dare Sacerdoti. Decima igitur Ecclesiastica, de quibus in præsentibus, sunt decima pars fructuum, & proventuum justè questorum, debita Deo in recognitionem universalis domini, solvenda quidem Ministris Ecclesiæ propter spirituale ministerium. c. 26. c. 33. b. t. L. 1. tit. 5. lib. 1. R. C. L. 1. tit. 20. p. 1. ibi: Diezmo es la decima parte de todos los bienes, que los omes ganam de rechamante, è esta mandò Santa Iglesia, que sea dada à Dios, porque èl nos da los bienes, con que vivimos en este Mundo.* Et meritò quidem Sacerdotibus solvuntur: nam juxta Christi Domini doctrinam dignus est operarius mercede sua: debent namque fideles rebus suis temporalibus alere eos, qui ipsis in spiritualibus inserviunt: & hac ratione dicitur, decimas Jure naturali, & Divino deberi. *c. 14. c. 25. c. 32. §. 1. b. t. c. fin. 16. q. 1.* Vel etiam quia in Lege veteri debebantur. *Levit. 23. v. 30.* quin & ante Legem Mosaicam fuerunt introductæ. *Genes. 14. v. 20. & 28. v. fin.* Consequenterque quoad originem, & quatenus continent congruam Ministrorum sustentationem Juris Naturalis, & Divini meritò recensentur. *c. fin. 16. q. 1.* & sic intelligendi veniunt Text. in *c. 14. c. 25. c. 32. §. 1. b. t.* non tamen sunt Juris Naturalis, nec Divini, quoad quotam, hoc est, quoad partem decimam. Nam hac ratione decimæ juris Ecclesiasticæ sunt. *Covar. lib. 1. Variar. c. 17. n. 2. Suar. Gutier. & alii.* Nullum enim præceptum extat in Lege Evangelica de decima parte solvenda. Nam quando Christus Dominus solvendas decimas ait apud *Matth. 23. v. 23.* loquebatur de decimis debitis in Lege veteri. Debetur ergo ex puro præcepto Ecclesiastico. *Trid. sess. 25. de Reform. cap. 12.* Et hanc conclusionem tenent *D. Thom. 2. 2. q. 87. art. 1. Abulens. in Matth. cap. 23. q. 149. Suar. de Decimis, cap. 9. n. 10. Soto de Just. & jur. lib. 9. q. 4. art. 1. Covar. Gutier. Solorz. Gonz. in c. 32. b. t. n. 4. & alii contra Gloss. in c. 1. b. t. in 6. Innoc. & alios, qui absolute tenent de Jure Divino deberi. Audiamus *D. Thom.* qui hoc optime explicat *2. 2. q. 87. art. 1. in corp. libi: Sed determinatio certe partis exhibenda Ministris Divini cultus non est de Jure naturali, sed est in-**

tro-